





*36*  
*9.*  
*12*  
*1707, 9*

PRO-DECANUS  
FACULTATIS JURIDICÆ  
**GUIL. HIERONYMUS**  
**BRUCKNER D.**  
PANDECTARUM PROF. PUBL.  
CURIAE PROVINCIALIS  
FACULT. JURIDICÆ ET SCABI-  
NATUS ASSESSOR,

*DE*  
**OBLIGATIONE**  
**PACTORUM NUDORUM**  
**JUSTA JUS CIVILE,**  
*occasione l. 20. C. de transaction.*

*Quam*

*Clarissimus summorum in jure honorum*

CANDIDATUS

**DN. JOHANNES VVILHELMUS THILO,**

HILPERHUSA - FRANCUS,

*d. 8. August. M DCC VII.*

LECTIONE CURSORIA IN AUDITORIO JURIDICO

EXPLICANDAM SELEGIT,

PROGRAMMATE HOC INAUGURALI TRACTAT.

*J E N Æ,*

LITTERIS MULLERIANIS.



Uulantam vim habeant pacta  
de rebus licitis inita, ipsi Legisla-  
tores Romani non diffitentur, &  
prater l. i. pr. de pat. l. 7. §. 7. eod.  
l. i. pr. de const. pec. emphaticis ver-  
bis declarant Imp. Diolef. & Ma-  
xim. in l. 20. C. de transact. (quam  
Clariss. Dn. Candidatus lectione  
Cursoria explanabit) dum, Nihil,

ajunt, ita fidei congruit humana, quam ea, que placuerant, cu-  
sodiri; nihilominus tamen in illa ipsa materia, ubi de pa-  
ctis & contraetibus agitur, & principaliter questio tracta-  
tur, num fides data sit servanda, in contrariampartem se-  
pius abeunt, contra omnem aequitatem naturalem pactis,  
nudis vocari solitis l. 15. de P. V. l. 7. §. 4. & l. 45. de pat.  
l. 10. C. eod. l. i. C. de pat. convent. vim obligandi dene-  
gantes; unde magna solicitudine distingunt inter pacta  
& contraetus, inter pacta nuda & non-nuda, inter non-  
nuda legitima & adiecta, inter adiecta in continent, & ex  
intervallo, inter adiecta bona fidei & stricti juris contracti-  
bus; quoad contraetus inter nominatos & innominatos,  
inter nominatos, qui vel consensu, vel re, vel litteris vel  
verbis perficiuntur; quæ distinctiones, fundamento rationis  
& aequitatis destituta, quantam difficultatem pariant, &  
crucem figant dissentibus, illi satis experientur, qui elemen-  
ta juris tradunt tyronibus. Quam causam habuerint  
Romani, ut tam inane introduxerint distinctiones, a va-  
riis varia in medium proferunt rationes. Plerique in-  
eam veniunt opinionem, quoniam pacientes & promit-  
entes sepe se gerunt precipitanter, & ab aequitate alienum  
esse reputatur, ut statim obligatus esse debeat, qui per ja-  
stantiam & citra intentionem se obligandi aliquid dicit,  
quod Romani ad obligationem, actionis causam, neces-  
sarium esse duxerint animum deliberatum, cuius signum  
voluerint esse solemnum interrogationem & congrua-  
responsionem, qua stipulatio per obligationem absolvitur.  
Existimant igitur illi, quod in conventione, verbis obliga-  
toris

303

toris concepta, citra stipulationem non adsit obligatio, nisi vel frequentior usus statuerit sufficere nudum consensum, ut in contractibus consensualibus, vel realis traditio fuerit secuta, ut in realibus, vel litera certo negotio accesserint, ut in contraetatu chirographario, vel causa superveniret, ut in contractibus innominatis, vel lex robur addiderit, ut in pactis legitimis, vel bona fides requirat servare promissum, ut in pactis incontinenti adiectis negotiis bonorum fidei, Enimvero si Romani praecepsissent deliberaatum animum, conventioni alias nuda, quando firmatur per juramentum, aut in scripturam redigitur (non enim omnis contractus in scripturam redactus est chirographarius) tribuissent vim obligandi, quod tamen nullibi generaliter constitutum legimus, & peculiare prorsus est, quod de jurata transactione disponitur l. 41. C. de transact. Alii statuunt, calliditate Patriorum Romanorum in libera Rep. factum esse, ut rudi plebi perplexum & intricatum jus cum certis & solemnibus formulis promulgaretur, sive que penderet juris administratio magis ex libidine & affectibus Patriorum, quam ex bono & aequo. Sed nondum certo constat, an omnes illa superioris adducta scrupulosa distinctiones pactorum & contractuum extiterint in libera Rep. Si enim tempore Cæsarum demum natæ sunt, causa illa huic non quadraret. Alii ad asylum ignorantia configunt, provocantes ad l. 20. de LL. quod non omnium, que a majoribus constituta sunt, ratio reddi posse. Licet autem sepe pro ratione stet legislatorum voluntas, cum in casibus per leges decidendis non semper solida ratio inveniri queat, cur hoc & non aliud constituantur, in nostro tamen praesenti casu subesse videtur causa, quare a simplicitate naturalis aequitatis fuerit recessum, & tam variae inane distinctiones cum notabilibus effectibus allatae. Alii leges nostras naturali aequitati convenire contendunt; sed in hac sententia probanda adeo se torquent, ut commiseratione potius quam refutatione dignos se fiant. Sicut enim nihil tam absurdum est, quod non probabiliter defendi possit, ita illi officio suo satis se functos credunt, si pro colo-

A 2

randis

randis legibus in speciem saltim nonnulla proferant. Ut  
meam exponam sententiam, salva meliori arbitror, quod  
veteres Romani nondum exculta Jurisprudentia viderint  
tot esse negotia, & non potuerint rite discernere præparato-  
ria (tractatus a quibusdam vocantur) conventionum obli-  
gatoriarum ab ipsis illis conventionibus. Neque mirari de-  
bemus, eo non pertigisse acumen ingeniosissimorum illo-  
rum JCTorum. Nullibi enim in toto nostro Jure doctrina  
de præparatoriis illis, in praxi, & communi hominum vita  
tam frequens & utilis, plenius & accuratius traditur; imo  
adhuc hodie in tanta luce, qua radiat Jurisprudentia, non-  
nulli magni nominis JCTi adeo cæcutiunt, ut, licet data ope-  
ra occupentur in consideranda præparatoriorum natura, non  
assequantur tamen illam, & multa hoc non spectantia ad-  
ducant. Sunt autem præparatoria conventionum tales præ-  
liminaires tractatus, quibus conventiones obligatorias iniuri-  
citra animum obligandi exponunt, quid in posterum unus  
alteri præstare debeat. Et fiunt præparatoria variis modis,  
vel (1.) si expresse convenienti duo vel plures, quod, ante-  
quam hoc vel illud peragatur e. g. negotium in scripturam  
redactum a pacientibus vel contrahentibus subscribatur,  
nulla obligatio adesse debeat; in tali casu, licet verba usur-  
pentur obligatoria, non prius tamen obligatio nascitur,  
quam utriusque consensu adhibeatur illud, quod ab initio  
invicem placuit (2.) si circumstantia ostendunt, non tam  
obligationem constitui, quam spem constituenda fieri, quod  
potissimum tunc contingit, si utrinque omnia, ad negotii  
pleniorem naturam regulariter spectantia, nondum sunt  
conventa, e. g. dicit Mevius Cajo, ego tibi vendam domum  
meam, sed nondum exprimit pretium, ego tibi locabo pra-  
edium meum Tusculanum, sed nondum determinatur mer-  
ces, ego tibi dabo in emphyteusin agrum aliquem, sed in  
tanto agrorum numero nullus certus nominatur, aut canon  
quotannis solvendus non significatur, ego negotium tuum  
gratis geram, sed quale negotium sit gerendum, nondum  
conveniunt. Et sic etiam in contractibus consensualibus  
non statim adest obligatio, ubi duo consentiunt simplici-  
ter,

36

ter, sed requiritur, ut ea sint determinata, quæ ad negotii  
essentiam spectant. Ita in omnibus contractibus possunt  
præmitti præparatoria. Evidem haud negarem, quod pos-  
sit etiam adesse obligatio, licet non omnia sint conventa,  
quæ regulariter ad negotium requiruntur e. g. si Mevius  
domum suam Cajo vendere promittit, non determinato  
pretio, licet alias ad venditionem certum requiratur pretium,  
si tamen Mevius expresse declarat, aut ex circumstantiis  
colligitur, quod per talem præmissionem velit esse obliga-  
tus, non ultra de obligatione dubitandum est, cum per  
arbitrium boni viri æquum & justum determinari queat  
pretium, & sic de aliis contractibus judicari debet. Hoc au-  
tem jam queritur, utrum in dubio censeatur promissor se-  
velle obligare, quando nondum omnia, ad negotium alias  
pertinentia, sunt conventa, an præsumatur saltum præpara-  
torium quid esse ipsius promissum, carens obligatione?  
Quod posterius mihi probabilius videtur. Igitur veteres  
Romani, quando viderunt, tot præparatoria dari negotio-  
rum, noluerunt ex quolibet promisso & pacto concedere  
actionem, sed melius esse judicari versari circa ipsas con-  
ventiones obligatorias, ex quibus actiones descendere de-  
beant. In exponendis autem conventionibus obligatoriis,  
eorumque effectibus mire desudarunt, & a semita naturalis  
æQUITATIS valde aberrarunt. Tolerari hoc quandam tenus  
posset in illis hominibus, legislatoriæ potestate plerisque  
non gaudentibus, & temporibus Jurisprudentie inculta  
viventibus. Nulla vero ratione merentur excusari JCTi, qui  
a Justiniano Imp. mandatis sunt instructi, ut, fabulis anti-  
quis, & inanibus curiositatibus rejectis, Jus in elegantem  
reducerent consonantiam, quando in donatione, receden-  
tes a veteri Jure, naturalem æquitatem secuti & amplexi  
sunt, in aliis vero negotiis, quæ magis emendationem po-  
stulabant, antiquas nugas reliquerunt intactas. Sic enim  
nomine Justiniani in l. 35. § 5. C. de donation. postquam con-  
tra jus vetus pacto donationis, traditioni nondum secuta,  
vim obligandi & actionem exinde instituendi tribuerunt,  
loquuntur: cum enim in arbitrio cuiuscunque sit hoc facere, quod

A 2

instio

instituit, oporeat eum vel minime ad hoc profiliere, vel, cum ad hoc  
venire properaverit, non quibusdam excogitatis artibus suum pro-  
positum defraudare, tantamque indeventionem quibusdam quasi le-  
gitimis velamentis protegere. Optima hæc ratio pessime appli-  
catur solum ad donationem, cum magis locum etiam inveniat in aliis negotiis, ob mutuas quandoque præstations  
favorabilibus, ubi contra donatio, unam tantum partem gra-  
vans, actus per se odiosus est, nec extensionem facile admit-  
tit. Deinde amon plius involvit, concedere alteri rei ali-  
eius proprietatem cum ususfructu, quam nudum usum fru-  
ctum? Atqui juxta cit. l. 35. firma & valida pronuntiantur  
obligatio, si quis donat alteri proprietatem cum ususfructu,  
nondum facta rei traditione; sed si quis alteri usum certum  
& gratuitum rei promittit, nondum fecuta reali traditione,  
nulla dicitur adesse obligatio, quoniam commodatum est  
contractus realis, & pactum de re alteri commodianda tan-  
quam nudum non obligat. Sic, quando Sejus rogat Sem-  
pronium, ut sibi mutuo det 100. taleros ad biennium, &  
Sempronius promittit illos mutuo dare, in crastinum sol-  
vendos, ante factam exsolutionem non dicitur esse obligatus  
ex promisso, si autem Sempronius dicit, quod Sejus in cra-  
stinum venire, & 100. taleros donatos accipere debeat, obli-  
gatio adesse statuitur. Et sic juxta l. 35. donatio, tanquam  
res odiosa, contra jus vetus est extensa, contractus autem  
innominati, tanquam favorabiles retenta juris veteris dispo-  
sitione restrikti, ubi tamen non solum juxta c. 15. X. de R. I.  
in 6to, sed & naturalem æquitatem, adia refringi & favores  
conveniat ampliari. Rectius igitur Triboniamus cum suis  
asseclis fecisset, si non tantum in donatione, sed etiam re-  
liquis pactis & contractibus inanes veteris juris distinc-  
tiones, pactorum & contractuum cum diversis effectibus ab-  
rogasset, & simplicitatem æquitatemque naturalem fecitus  
statuisse, quod omnis conventio omneque pactum alias  
nudum vocari solitum & de re licita initum, ubi cuncta sunt  
determinata, & nihil præter traditionem aut realem præsta-  
tionem supereft, obligare & actionem producere debeat. Sed  
de hac materia alibi plura, ubi simul tradam, quomod opa-

Eta

36  
Ita nuda hodie obligent. Restant nunc quædam dicenda  
de Clarissimo nostro Candidato

## JOHANNE VVILHELMO THILONÆ,

Qui editus est in hanc lucem Veilsdorffii in ditione Saxo-Hilperhusana anno post natum Christum M DC LXXXII. parentibus optimis & adhuc viventibus, Patre JOH. CHRISTOPHORO THILONÆ, Ecclesia Veilsdorffensis, nunc Effeleranæ pastore vigilantissimo, Matre honestissima, MARIA ELISABETHA, nata THYMPIA. Hi filium, cognita ejus capacitate, studiis & bonis literis destinarunt, ut aliquando Deo & Reip. gratam praefaret operam. Traditus est primum informationi privatorum præceptorum, in quibus alienis nullis pepercerunt sumitibus parentes, ut Noster elementis latinae græcæque lingue imbuferetur. Quibus feliciter, haustis, Coburgum missus, adhuc hodie sibi gratulatur, quod hospitiis & convictu Excellentissimorum Consiliariorum JO. LUDOVICI ZOLLMANNI, JO. PHILIPPI EBERWEINII, JO. WILHELMI LUCHI, per triennium & quod excurrit, licuerit uti, & in Illustri Gymnasio frui doctrinis præstantissimi Directoris JOHANNIS SAUERBREY, SS. Th. D. ejusdemque Professoris, nunc Rev. Ministerii Erfurtensis Senioris, & Pastoris ad templum Prædicatorum meritissimi, reliquorum etiam Gymnasii Professorum fideli manuductio-ne, inter quos laudat JOH. DANIELEM GHNLEIN, JO. ACHATIUM COLERUM, JO. CHRISTIANUM FUCHSIUM, FRIDERICUM CALENUM. Igitur ad altiora studia optime præparatus, octavo abhinc anno in Altdorffinam se contulit Academiam, ubi vacavit studiis Philosophicis sub duce optimorum Professorum, G. P. ROTENBECCI & DANIELIS OMEISII. Flagravit deinde desiderio nostram, adeundi Salanam; hic delatus frequentavit Collegia Logica, Politica, & Moralia JO. PHILIPPI TRFUNERI, SS. Th. D. Logic. & Metaph. Professoris, nunc Augusta Vindelicorum Rev. Ministerii Senioris, & Pastoris ad Minoritas Evangelicos gravissimi. Postea totus incubuit Juris Studio, &, quandiu apud

24

apud Nos vixit, perpetuus Auditor fuit D. JO. CHRISTIANI  
SCHRÖTERI, Jurium Professoris celeberrimi, quo Duce  
Institutiones Juris, Struvianam Jurisprudentiam, Syntagma  
etiam Juris Civilis & Feudalis, Schwederi Jus Publicum & Desellii,  
Jus Canonicum pertractavit, & sub hujus Doctoris, quem semper in  
delitiis habuit, Praesidio publice solemniterque disputavit de Eo,  
quod circa geminationem Justum est. Interfuit quoque Collegio  
privato Institutionum Consiliarii JO. BERNHARDI FRISII, Ante-  
cessoris nostra Facultatis famigeratissimi. Sic positis in Thoria Ju-  
ris fundamentis, & vitis inclita Fridericiana Hallensi & celeberrima  
Lipsciensis Universitatibus, salutatisque in illis celebrioribus Professor-  
ibus, ad praxin exercendam Gotham abiit, ubi ab Illustrissimo Re-  
gimine, exploratis prius ejus profectibus, licentiam & facultatem  
obtinuit, causas clientum in foro tractandi, Plurimum autem se  
debere grato agnoscit & deprendit animo, Excell. Consiliario Sa-  
xo - Gothano DANIELI EUSEBIO JÄGERO, in cuius non tantum  
receptus est convictum, sed & optimis consilii & manuductione in  
praxi ab eo adjutus. Et cum haec tenus non inveniat, quo gratam  
mentem ipsi satis declarat, Deum piis precibus etiam atque etiam  
rogabit, ut Mecenatem suum JÄGERUM omni felicitatis genere  
beare dignaturus sit. Tandem Noster suasu Patronorum in ani-  
mum induxit ad Summos in Jure adspirare honores; quapropter  
nostram adiit Facultatem, & exposito desiderio impetravit, ut ad  
consueta Candidatorum Examina admitteremus, in quibus expecta-  
tionem nostram haud frustratus est, dum textus exhibitos doce re-  
solvit, & eruditionem in jure haud contemnendam promis responsio-  
nibus ostendit. Dignum igitur communi consensu judicavimus,  
cui Cathedram publicam primum ad Lectionem Cursoriam, deinceps  
ad Disputationem Inauguralem habendam aperiremus. Crastinum  
diem destinavimus Lectioni Cursoriae, cui ut Magnificus Pro-  
Rector, Proceres Academiae, aliquique Musarum Fautores & Cultores  
interesse velint, Facultatis nomine, ea qua par est, observan-  
tia & humanitate rogantur. P. P. Jenæ  
d. 7. Aug. M DCC VII.

(L. S.)

Jena, Diss., 1707 A-V  
X 2396251



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-185296-p0012-8

DFG

PRO-DECANUS  
FACULTATIS JURIDI  
**GUIL. HIERON.**  
BRUCKNER  
PANDECTARUM PROF.  
CURIAE PROVINCIALI  
FACULT. JURIDICÆ ET S  
NATUS ASSESSOR,  
DE

**OBLIGATI  
PACTORUM NUD  
JUXTA JUS CIVI**

*occasione l. 20. C. de trans*

*Quam*

*Clarissimus summorum in jure bo*

CANDIDATUS

**DN. JOHANNES VVILHELM**

HILPERHUSA - FRANCU

*d. 8. Augus. M DCC VII.*

LECTIONE CURSORIA IN AUDITORIO

EXPLICANDAM SELEG

PROGRAMMATE HOC INAUGURA

*J E N X,*

LITTERIS MULLERIAN

